Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26083
Copyright: Admont, Benediktinerstift

uestis. et recludebatur aliis .vii.
diebus. si adhuc dubia erat, rumpe-
bat illud a solido. Si tamen iterum alibi
macula apparebat, lepra uolatilis
erat. et comburebatur uestis. Si macula si-
milis corrosiua apparebat in domo,
prius precipiebat sacerdos omnia de domo effer-
ri. considerans que ualliculas in pariete
pallore uel rubore deformes. et humiliores
superficie reliqua, claudebat ostium domus
.vii. diebus. post quos si inuenirit creuisse le-
pram, iubebat erui lapides leprosos et pro-
ici extra ciuitatem. et domum radi intus per
circuitum. et puluerem rasure spargi extra
urbem in loco inmundo. et alios lapides
substitui in domo. et luto alio liniri do-
mum; quod si iterum rediret macula, lepra per-
seuerans est. et destruetur domus et ligna et la-
pides. et puluis extra oppidum proicietur in lo-
cum inmundum. De purificatione leprosi.

Quod si leprosus mundabatur,
reuocabatur ad communem habitationem
sic. Veniebat usque ad introitum castrorum uel
oppidi. habens secum duos cum ipso passe-
res uiuos quibus licitum erat uesci. lignum-
que cedrinum. et ysopum. et uermiculum. filum scilicet
coccineum. et aquas uiuentes in uase fic-
tili. et occurrens ei sacerdos, inmolabat
passerem unum. stillans sanguinem super aquam.
aliumque uiuum ligans filo coccineo, cum
ysopo in summitate ligni cedrini quasi fa-
ciens aspersorium. Tingebat illud in aquis
rubricatis aspergens hominem septies. di-
mittebatque passerem uiuum auolare in
agrum. Cumque lauasset homo uestimenta
sua, radebat omnes pilos corporis. et lotus
aqua ingrediebatur castra, ita dumtaxat
ut maneret extra proprium tabernaculum .vii.
diebus. Iterumque die .vii. rasis omnibus pilis
corporis. et superciliis. lotisque uestibus et cor-
pore, die septima tollebat duos agnos
inmaculatos. et ouem anniculam. et
tres decimas simile conspersę oleo. et olei
sextarium. et offerebat omnia ad ostium
tabernaculi; tunc sacerdos inmolabat ag-
num unum pro delicto. et sumens de sanguine
ponebat super extremum auricule dextre
hominis. et super pollices pedis et manus
dextre. et de olei sextario mittens in ma-
num suam sinistram. et tingens pollicem dex-
trum in eo [illegible] aspergebat septi-
es contra tabernaculum. reliquum olei quod erat
in sinistra fundebat super extremum
auricule dextre hominis. et super pol-
lices manus et pedis dextri. id est super san-
guinem quem prius infuderat. et super caput
eius. et rogabat sacerdos pro eo. faciens aliquam
specialem orationem institutam ad hoc officium.
et faciebat postea sacrificium pro peccato. et post immo-
labat holocaustum cum libaminis suis. po-
nens illud in altario. Et nota quod hic proprie
distinguitur sacrificium pro delicto. cuius san-
guine linitus homo est. et sacrificium pro peccato.
de quo ei nichil factum est. Vnde et moyses
dixit. hic quasi distinguens. ita pertinere
ad sacerdotem hostiam pro delicto, sicut et pro
peccato. Cum autem distinxisset agnum pro de-
licto, nec distinxit. quod aliorum pro peccato.
et quod holocaustum fieret, innuit in ar-
bitrio esse sacerdotis. de agno et oue. ut
alterum pro peccato alterum holocaustum faceret
quod uellet; quod si manus eius inuenire non posset.
agnus tamen pro delicto. et olei sextarium non
minuebatur. cetera exceptis purificatur
homo ut prius. sed pro oue et agno reliquo of-
ferebat par turturum. aut duos pul-
los columbarum; quorum unus pro peccato
alter in holocaustum fiebat. et unam deci-
mam simile oleatę in sacrificium. De
uiro spermatico et muliere.

Deinceps addidit dominus de uiro sper-
matico paciente fluxum semi-